

genio pagano, & nec nubere vellet, neque sacrificare, post multa facta miracula, quibus plurimas DEO virgines aggregaverat, à carnifice percussa est gladio in corde, rogatu sui sponsi, vid. M. R. ad X. Kal. Jan.

6. S. ANATOLIÆ virgin. & martyr.

Hæc Christi virgo Decio Imperatore postquam plurimos per totam Piceni provinciam variis languoribus affectos curasset & in Christum credentes fecisset, jubente FAUSTINIANO judice, diversis pœnarum generibus vexata, cum ab immisso serpente liberata Audacem convertisset ad fidem, novissime extentis manibus orans gladio transverberata est: Audax quoque in custodiam datus, sine mora capitali sententiâ coronatur. vid. M. R. ad VII. Idus. Jul.

7. S. BENEDICTÆ Virginis.

Hujus meminit M. R. ad Prid. Non. Maj. Ad quem locum Card. Baronius: de ea S. Gregorius L. 4. dial. cap. 18. ubi agit de S. Galle obitu, quam Benedicta post diem 30mum, ut S. Petrus Aplus prædixerat, secuta est ad coronam.

8. S. FAUSTÆ Virginis.

De qua M. R. ad XII. Kal. Octob.

Fausta sub Maximiano Imperatore capite terebrata, clavis toto corpore confixa, & sartagini ignitæ imposta, cum Evilasio voce de cælo vocata, transivit ad Dominum.

Denique continet hæc cista varias reliquias sine inscriptionibus, charta partim involutas, par-